



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXVII. De variis reddituum Episcopaliū speciebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

cam. Etenim si verum est, quod ante diximus, curam religionis & Ecclesiæ Principi cuique summo jure majestatis, quam tenet, competere, non alia sanè erit potestas legislativa circa Ecclesiam, alia circa Rempublicam, sed una eademque utrobique. Quod si ab objectis distinctio facienda esset, tot sanè in principe potestates fingi deberent, quot in civili vitâ existerent negotia, hoc est innumera & infinita. Concedamus enim verò etiam Episcopis ratione officii sui competere aliquod jus visitandi; istud tamen totum intra terminos potestatis spiritualis coërcetur, neque tale & tantum est, quale & quantum est istud, quod ex τῶ κρείω provenit, quodque potestatem externam ἀναγκαστικὴν conjunctam habet. Aut si tale tantumque est, non erit id ex potestate Ecclesiastica & Episcopali propria, sed ex assumptâ alienâ Principibus competente.

XLI. Nec verò necesse est, ut Principes ipsi munus istud visitationis expédiant, cum & in aliis regalibus exercendis plerumque utantur suorum ministerio. Et quia diversa in ejusmodi actibus occurrere solent negotia, quæ interdum judiciali disquisitione & decisione dirimenda veniunt, utiliter eam in rem adhibentur personæ tum Ecclesiasticæ, tum Politicæ in rebus agendis exercitæ. Atque illæ, quia plerumque certo mandato instruantur, extra illud & ultra præscriptum agere neutiquam possunt, sed, si quid tale sese obtulerit, quod suam potestatem excedat, relatio tum faciendâ ad ipsum Principem, ne quid temerè constituatur, quod successu temporis minus commodè factum appareat. In Franciâ olim per Missos Regios unâ cum Episcopis visitationes peractas fuisse, patet ex capitulis, quæ consignavit Cardinalis Baronius tom. 10. ad ann. DCCCLIX. n. 21. seqq. Add. Petrus de Marca de concord. sacerdot. & imp. lib. 4. cap. 7. n. 6. seq.

CAP. XXVII.

De variis reddituum Episcopaliū speciebus.

I.

INitio nascentis Ecclesiæ augustis limitibus conclusa fuit hujus capituli tractatio, quandoquidem nulli tum temporis fuerunt redditus speciales Episcopis solis competentes, sed communis, erat tum Episcopis, tum Clericis reliquis, vita communis, & ratio vivendi prorsus eadem. Ex oblationibus fidelium sua tum habebant alimenta Clerici universi in quavis Ecclesiâ, & si quid residuum esset, id totum in pauperes distribuebatur. Probrosū erat, sibi retinere aliquid ut proprium, & rem cum aliis communem sibi soli vindicare. Imò verò ut eo magis se exonerarent

rarent Episcopis rerum secularium, maluerunt nonnulli prorsus abdicare se bonis & possessionibus propriis aliunde acquisitis, quam istam communem & pauperem fidelium vitam non vivere. Nec displicuit id genus vivendi, posteriorum temporum Episcopis, quibus periculolum visum fuit, abundare per personas Ecclesiasticas divitiis & splendidam ostentare familiam, etiam jam tum ubique ferè locorum invaluisset proprietas quædam. Episcopus, inquit Hieronymus in ep. ad Tit. c. 1. qui imitator Apostoli esse cupit, habens vitum & vestitum, his tantum debet esse contentus. Qui altari servierint, de altari vivant. Vivant, inquit, non divites fiant. Unde & as nobis excutitur de Zona, & unam tantum tunicam induimur, nec de crastino cogitamus. Turpis lucris appetitio est, plus quam de presentibus cogitare. In eandem sententiam plura alia collegit Gratianus c. clericus, cum seqq. 12. q. 1.

II. Vicit tandem proprietas, & communi quasi consensu à pristinâ communionem recessum fuit, ita ut non Clerici tantum, sed ipsi etiam Episcopi certos deinceps redditus haberent, quos in suos & familiæ suæ usus convertere liceret. Sed & invaluit porro, ut præter certos istos redditus ipsi sibi facerent alios incertos propter officium sacrum, quod in gratiam privati cujusque expedire oportebat. Hinc enim factum, ut sacramenta non conferantur, nisi numeratâ pecuniâ, pœnitentium commissa non audiantur, nisi soluto præmio, matrimonia non habeantur firma & rata, nisi Sacerdos accipiat suam mercedem. Ut ne dicam interim, quanta mensis colligatur ex litibus, ex dispensationibus, sic enim vocant, ex condonationibus, quas vulgus appellat indulgentias, è conferendis sacerdotiis, confirmandis & consecrandis Episcopis atque Abbatibus, adeo ut nihil superfit amplius, quod gratis detur, cuique applicari possit præceptum magistri, gratis accepistis, gratis date. Atque ista omnia summâ cum avaritiâ infinitaque cupiditate exiguntur, ideo, quod unusquisque non sibi tantum, sed propinquis etiam suis prospicere, eosque unam secum opulentos & potentes reddere, omnibus nervis contendit. Institutum nostrum non fert, ut singula ista, quibus facultates suas augere solent, vel Clerici promiscue, vel soli Episcopi, prolixè hic discutiamus. De nonnullis tamen, quæ inter Canonistas maximè celebrantur, pauca aliqua notare operæ erit pretium.

III. Primum occurrit *Inthronificum*, quo nomine venit pecunia illa, quam pro inthronizatione, uti loquuntur, sive installatione dare solet Episcopus noviter ordinatus. Solebat enim tum Episcopus in cathedrâ, aut folio, aut throno collocari, veluti possessionis cujusdam apprehendendæ gratiâ, & ab hoc throno missio illa in possessionem dicebatur *ἐνθρονισμὸς*, & pecunia pro tali actu dari solita *ἐνθρονιστικόν*. Latine etiam dicebantur *inthronisari*: & thronus passim pro sede Episcopi usurpatur. Verum quia de inthronifico isto anticipavimus dicere lib. 2. cap. 5. plura de eo nunc

Ggggg 4

verba

verba facere nolumus. Unicum id addo, non videri potuisse prorsus iniquam istud tributum, si ita vocare licet. Dabatur enim partim Episcopis vicinis & in ordinationis actu presentibus, partim vero Clericis & Notariis, qui ministrabant & diplomata conficiebant. Illis ideo, ut sumptus, quos in itinere facere oportuit, refunderentur; his vero, ut propter expeditiones honorarium aliquod aut salarium acciperent, quibus lucellum istud invideri non poterat.

IV. Ab hoc inthronistico distinctum fuit *Cathedraticum*, quanquam Julianus antecessor in versione sua pro iisdem ea habuerit. Inthronisticum enim semel, & eo quidem tempore, quo Episcopus cathedram primum occupavit, solvebatur; sed cathedraticum singulis annis solvi oportuit. Idque ita dicebatur, quod in honorem cathedrae daretur, uti describit Concilium Bracarense II. c. 2. quod nisi fallor primum ejus mentionem facit, ut verosimile sit, invaluisse cathedraticum seculo sexto. Et in eo Concilio statuitur, Cathedratici quantitatem in duobus solidis consistere debere, quod & Pelagius II. Pontifex ita definiit apud Gratianum c. *illud* 10. q. 3. Et quia in dicto Concilio tempus additur, quo duo isti solidi dari debeant, nempe *cum Episcopus per diocesin suam ambulat*, videri potest, in vicem procurationis datam istam fuisse pecuniam Episcopo visitanti. Quo eodem referri potest, quod in Concilio Toletano VII. c. 4. canon hic Bracarensis repetatur, & eodem contextu de visitante Episcopo, qualiter se gerere debeat, nonnulla mox addantur.

V. Sed enim dubiam planè hanc opinionem faciunt verba dicti canonis Toletani, quibus annuè illatione inferri jubentur duo isti solidi. Inferri autem si debent, expectandum non est, ut Episcopus veniat ad locum, & pecuniam istam exigat. Adeoque etiam non visitanti Episcopo cathedraticum istud solvi debet. Et quia Gratianus canonem Bracarensem ita recenset, ut verba ista, quæ adduxi, prorsus omitat, videri poterunt, ea ab Interprete quodam addita fuisse. Sanè pro duobus istis solidis aliquando annonam datam fuisse, patet ex capitulari Tolosano c. 2. *Ut unum modium frumenti & unum modium bordei, atque unum modium vini cum mensura, quæ publica & probata, ac generalis seu legitima per civitatem & pagum, atque viciniam habeatur, Episcopi à presbyteris accipiant, & friscbingam sex valentem denarios, aut sex pro eâ denarios & non amplius exigant. Et si hæc non accipiunt, accipiant, si volunt, pro his omnibus duos solidos in denariis, sicut in Toletano & Bracarense consensu Episcopi considerasse dicuntur.* Hanc autem annonam longè aliam fuisse ab eâ, quæ procurationis nomine visitanti Episcopo dari solet, apertissimè colligitur ex cap. 4. ejusdem Capitularis, quod *victum & strigida*, quibus visitantes Episcopi contenti esse debeant, seorsim describit.

VI. Cathedralicum hoc aliàs dicitur *Synodaticum*, quod in Synodis ab Episcopo habitis exsolvi debeat. Etsi enim sint, qui inter ista distinctionem aliquam sustinere velint, vix tamen erit, ut eam satis commodè explicent. Sanè pro iisdem ea habuit Honoris III. Pontifex c. 16. *de offic. jud. ord.* ubi per modum expositionis conjunxit synodaticum seu cathedralicum. Ideoque & nos pro Synonymis ea habebimus, donec ratio discriminis perspicuè magis explicetur. Synodi ejusmodi quotannis semel celebrantur, & tùm comparere oportebat in honorem cathedræ universos ejus dioeceseos Clericos, qui pro Ecclesiis suis in honorem ejusdem cathedræ, sive in recognitionem Ecclesiæ cathedralis, ut superioris duos istos solidos solvebant, sive ut in canone Toletano supra adducto dicitur, inferebant. Et quid prohibet ergo, quo minus id, quod ita inferebatur modo cathedralicum modo synodaticum diceretur. Sed enim barbaras istas voces merito aliis discutiendas relinquimus. Nobis sufficit annotasse, fuisse censuum genus Episcopis dari solitum, quod cathedralici aliquando, aliquando Synodatici nomine venerit, sive jam unum idemque utrumque fuerit, sive minus.

VII. Proximum est ut videamus de *decimis*, quales ut debeantur Episcopo, à Canonistis communiter doceri solet. Alibi dixi, nimium inhære Legibus propriè Judaicis illos, qui statuunt, decimarum debitum ratione ministrorum Ecclesiæ, esse juris divini & moralis, nec esse in potestate magistratum easdem vel sibi vel aliis adscribere, etiamsi aliter illis de stipendio sufficienti provisum eant. Rectiùs omninò statuunt alii decimas, quoad quotam, præcisè & specificativè sumptas, prout nomen decimarum in significato proprio accipitur, non solvi ex jure naturali aut morali, vel etiam ex jure aliquo positivo divino Christianis promulgato. Quod si nomine decimarum intelligamus stipendium Ecclesiæ ministris propter ministerium & labores debitum, fatendum est, non lege solum divinâ præceptas decimas, *Levit. c. ult. v. 30. Num. XVIII, 21.* sed etiam naturali, *Matth. X. 1. Cor. IX.* Natura enim docet, iis alimenta deberi, qui pro populo laborant. Unde & Abrahamus in statu ante legem decimas obtulit sacerdoti Melchisedech *Genes. XIV.* Si verò nomine decimarum determinatam quantitatem, hoc est, decimam bonorum partem accipiamus, dicendum est, lege quidem divinâ mandatas fuisse decimas in Veteri Testamento, sed non in novo, quippe in quo nullum tale præceptum invenitur. Negamus igitur, morale unquam fuisse, ut decimæ solverentur ratione specificationis, etsi libenter concedamus, generale fundamentum esse morale & perpetuum, quemadmodum perpetuum est, ut merces solvatur operario.

VIII. Sed quia Canonistis placuit, priorem amplecti sententiam, & solutionem decimarum ex constitutione divinâ tam necessariam faciunt,

ut ne quidem Imperialis concessio ab eâ quenquam eximere valeat, secuti Pontificem Innocentium III. c. 25. *de decim.* multa & frequens est disputatio, quibus & à quibus illæ debeantur. In genere verò dum statuunt, perceptionem earum ad parochiales Ecclesias, & illas quidem, in quarum territorio prædia sunt constituta, spectate, novum inde conficiunt jus Episcopale percipiendi scilicet ex istis decimis ad parochiales Ecclesias pertinentibus, partem quartam, quam decimalem vocant, ita ut, quemadmodum parochialibus Ecclesiis decimæ debentur, sic etiam decimarum ipsarum quarta Episcopo à Rectoribus Ecclesiarum, solvi debeat. Idque introductum fuisse putant ad exemplum portionis ejus, quam Levitæ ex decimis suis dabant Aaroni *Num. XVIII, 26. 27.* Sed enim quarta ista decimalis multum exsuperat portionem à Levitis dari solitam. Levitæ enim decimas decimarum, quas à Colonis acceperant, debebant Sacerdotibus. Eaque decima dicebatur decima sanctitatis 2. *Chron. XXXI, 6.* decima de decima & Theruma DEI, *Num. XVIII, 26. 27.* quâ detractâ, quæ reliqua erant, Levitis quasi profana erant, in quovis loco, modo purus fuerit, consumenda, testante Aben Ezra. Ante verò oblatam hanc decimam corpus fructuum tangere Levitis integrum non erat. Dabatur autem hæc decima decimarum Aaroni aut Summo Pontifici, ut inter cæteros Sacerdotes divideret, non ut in solius Pontificis usum cederet, sed ut inter reliquos Sacerdotes, quorum in singulis classibus plus quam quinque millia fuisse Petrus Cunæus ex Flavio refert 2. *de Rep. Ebr. c. 15.* eandem distribueret. Disertè Hieronymus in Ezechiel *cap. 45.* Dicamus igitur primum *juxta literam dicitur, h. e. decimam partem omnium frugum Levitæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex decimis Levita, h. e. inferior ministrorum gradus dabat decimas Sacerdotibus & hæc est, quæ appellatur δευτεροεική.* Idem docet Josephus *lib. 4. antiq. c. 4.* At secundum Canonistas Episcopus non decimam, sed quartam decimarum, neque eam inter alios distribuendam, sed in suos proprios usus accipit. Non potuit igitur quartæ decimalis exemplum capi ex decimâ Judæorum sacerdotibus debitâ.

IX. Puto igitur, quartam istam comprehendi sub quartâ generali, quæ ex omnibus Ecclesiæ cujusque redditibus Episcopo assignata fuit, & eandem cum illâ originem habuisse, uti id patebit ex testimoniis mox adducendis. Sic enim receptum aliquando moribus, & per canones deinceps constitutum fuit, ut ex omnibus Ecclesiarum particularium redditibus certa portio daretur Episcopo dioceseos. Ab initio quidem Ecclesiæ noscentis nulla talis cognita erat portio, sed quicquid Ecclesiis & earum ministris dabatur, in commune conferebatur, ut inde caperent, quantum sufficeret, ipsi ministri Ecclesiæ, reliquum autem in pauperes, viduas, infirmos & alios pios usus distribuere. Vivebant autem tum temporis Clerici unius Ecclesiæ

clesiæ universi in communione, ita ut proprium ferè nihil haberent, nisi quod sibi ex communibus bonis consumendo proprium facerent. Postea verò cœpit Ecclesia bona immobilia sibi vel donata vel quocunque titulo alio acquisita, quæ antehac vendere solebat, retinere. Et quia porro omnium rerum affluentibus copiis ex liberalitate fidelium lautior quotidie ejus fiebat conditio, cœperunt ejus Rectors cum sibi subiectis Clericis proprietatem intendere, & de vindicandis certis reddituum portionibus cogitare. Idque institutum cum ubique terrarum simul ferè omnibus placuisset, factum deinceps, ut universi Ecclesiæ redditus in quatuor partes dividerentur, ita ut prima cederet Episcopo, secunda clericis, tertia pauperibus, & quarta fabricæ cujusque Ecclesiæ, ut facta tecta conservari posset. Quæ de re plurima extant testimonia apud Gratianum *caus. 12. q. 2.*

X. Inter hos Ecclesiæ redditus referrebantur, non tantum fructus tum naturales, tum civiles, quos ex bonis immobilibus percipere licuit, sed etiam oblationes fidelium, & ipsæ etiam decimæ. Concilium Wormatiense *can. 7. De redditu verò Ecclesiæ & de oblatione fidelium quatuor fiant portiones &c.* Sic & Concilium Triburienſe *can. 13. Quatuor fieri partes juxta canones judicamus de decimis & oblationibus fidelium, & una sit Episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restorationi Ecclesiarum servetur.* Et Concilium Namnetense *c. 10. Instruendi sunt presbyteri, pariterq; admonendi, quatenus noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti, de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu DEI, & nisi eas fideliter pauperibus & his, qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros. Qualiter verò dispensari debeant, canones sancti instituunt: scilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertio presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reservanda, ut quicquid exinde jussit, prudenti consilio fiat.* Consimiliter haud paulo antiquius Concilium Toletanum IV. *can. 32. Pro quâ re constitutum est, a presenti Concilio, Episcopos ita dioceses suas regere, ut nihil ex earum jure præsumant auferre; sed juxta priorum autoritatem Conciliorum tam de oblationibus, quam de decimis, tributis, ac frugibus tertiam consequantur.* Tertia hic assignatur Episcopo ideò, quod in Hispaniâ divisio ista in quatuor partes non fuit recepta, sed totum id, quod distribui oportuit, in tres tantum partes divisum fuit.

XI. Tertia verò hæc, sive quæ communior est, quarta Episcopo non ideò concessa est, ut ille pro lubitu eam profundat, & in suos tantum usus proprios vertat, atque ex eâ, uti fieri plerumque solet, lautè & opiparè vivat; sed ut hospitalitatem inde exerceat, pauperes peregrinos recipiat atque alat, captivis etiam subveniat, & alia pietatis opera faciat. Ita enim
quartæ

quartæ hujus finem interpretatur Geladius apud Gratianum c. præsulum 16. q. 4. Præsulum nostrorum auctoritas emanavit, ut facultates ecclesiæ Episcopi ad regendum habeant potestatem, ita tamen ut viduarum & pupillarum atq; pauperum, nec non Clericorum stipendia distribuere debeant. Hoc eis etiam statuimus dari, quod hactenus decretum est: reliquum sibi Episcopi vindicent: ut peregrinorum atq; captivorum largitores esse possint. Et Gregorius in responsione ad primam interrogationem Augustini apud eundem Gratianum c. mos est 12. q. 2. Mos est Apostolicæ sedis ordinato Episcopo præcepta tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones: una videlicet Episcopo & familia ejus, propter hospitalitatem atq; susceptionem: alia clero, tertia verò pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.

XII. Inter oblationes admodum celebres erant etiam illæ, quæ fiebant in memoriam defunctorum, vel cum sepelirentur, vel cum anniversarii dies celebrarentur. Quod enim gentilibus solenne erat, ut epulas ad sepulchra deferrent, unde mortuis solatium quoddam accedere putarunt, idem etiam Christiani, quod existimarent, Christianam religionem non debere facere homines inhumaniores, dum ex paganismo plerique conversi essent, imitati sunt, uti conqueritur Augustinus *epist. 64*. Alibi verò meliore instituto receptum erat, ut in memoriam defunctorum amici & cognati cibos & alia dona in usum pauperum & Clericorum conferrent, uti colligere licet ex Origenis *lib. 3. in Job.* & Clerici, qui ea accipiebant, dicuntur fratres sportulantes Cypriano *epist. 66*. Ex his igitur oblationibus, nisi in meris esculentis consisterent, etiam Episcopus suam accipiebat quartam. Et quia, si alibi, defunctus quàm in Ecclesiâ, cujus parochianus fuit, sepulchram elegerit, ex oblationibus & obventionibus ejusmodi, quarta parochialis detrahebatur, non dubito etiam ex quartâ istâ parochiali, quartam aliam Episcopo cesfisse, ideò quod canones in genere loquantur, ex oblationibus & redditibus Ecclesiæ quartam Episcopo deberi.

XIII. Id verò jam diu observatum est in Ecclesiâ Latinâ, ut ex omnibus iis, quæ Ecclesiis pietatis causâ legantur, Episcopo debeatur portio aliqua, quæ Episcopalis vulgò dici solet. Atq; ejus juris triplicem vulgò reddunt rationem, fieri nempe id debere tum in recognitionem superioritatis, tum ob communicationem, quæ est inter Episcopum & Ecclesias, tum denique ob curam & cœleste pabulum, quod impertitur Ecclesiis inferioribus. Aug. Barbosa *de offic. Episcopi part. 3. alleg. 86. n. 1. & 7*. Quæ quidem portio ut plurimum quarta est, ita ut nisi diversum quid consuetudine introductum sit, semper quarta intelligatur. Didac. Covarruv. *ad c. 14. de testam.* Eamque Episcopo deberi statuunt, etiam si testator expressè dixerit, nihil omninò se velle relictum Episcopo; admittunt tamen consuetudine & præ-

& præscriptione legitimâ induci posse, ne quarta hæc Episcopo debeat, per c. 4. X. de præscript.

XIV. Sollicitus hic est Nicolaus le Maistre in *fin. tractatus de bon. Ecclæs.* qui deberi possit Episcopo quarta mortuorum, sic enim vocatur ea quandoque, ut & quarta funeralis, cum tamen in funeribus nullæ sint Episcoporum partes, quod eorum oculos secundum legis antiquæ typos ac figuras ab omni inspectione cadaverum oporteat esse impollutos. Hanc sibi objicit difficultatem, ut ipse vocat, Maistreus, Episcopum suum sine dubio æquiparans sacerdotibus Veteris Testamenti, quibus prohibitum erat tangere mortuum, aut ad mortuum accedere, *Levit. XXI, 1. seq.* quemadmodum etiam apud gentes Pontifici cadaver inspicere vel tangere nefas fuit, uti eam in rem testimonia collegerunt J. Lipsius ad *Taciti anal. lib. 4.* Jacobus Gutherius *de jur. man. lib. 2. c. 8.* Ut difficultati huic respondeat Maistreus, plura ait posse excogitari, quæ faciant satis. Primum id ex antiquo Episcoporum jure dimanasse, quorum erat quarta seu tertia quarumlibet oblationum. At verò manet difficultas, si vera est hypothesis, nullum Episcopo cum cadavere negotium esse debere, cur inter oblationes referri debeat, quod ex funere percipitur. Deinde ait, Episcopum olim funerum solennibus præfuisse, idque ex Dionysii Areopagitæ libris probat. Dionysii autem scripta sublestæ fidei sunt & inter eruditos pro supposititiis habentur. Potius est, ut statuatur Maistreus, uti haud obscure facit, prohibitionem de contactu mortui hominis pertinuisse ad cultum Veteris Testamenti, nec ad Novi Testamenti ministros extendi debere.

XV. Præter ea, quæ hæcenus enarravimus, Episcoporum compendia, excogitatum insuper fuit adhuc aliud, quod *subsidium charitativum* vocant. Id verò non nisi propter gravem & urgentem necessitatem expeti posse statuunt, quam tamen vicissim tam amplam faciunt, ut sub necessitatis nomine varia Episcoporum desideria facillimè comprehendi queant. Huc enim referunt, quando Episcopus Romam proficiscitur; quando iter facit ad Regem aliquem aut Principem: quando excipit Regem in diœcesi suâ: quando nunciû Apostolici excipiendi sunt: quando ære alieno graviter oppressus est: quando vocatur ad Concilium: quando aliàs tenues sunt ejus redditus: quando ipse provinciam primum ingreditur, pro jucundo adventu, & ejusmodi plura alia, quæ difficulter ad necessitatis urgentis species referri poterunt. Nec frustra igitur opposuerunt sese Canonici & Clerici nonnulli, cum Archiepiscopus Burdegalensis in suo jucundo adventu charitativum subsidium ad summam quater mille & quingentarum librarum Turonensium imposuisset, uti refert Nicolaus Boërius *decis. 133.*

H h h h h

XVI. Et si

XVI. Etsi verò admodum delicatum sit nomen & vocabulum subsidii charitativi, ut videatur non nisi liberalitati cujusque commissum esse, unde & doni gratuiti, concessionis liberalis & ejusmodi titulis aliis insigniri solet; noviorum tamen Canonistarum sententia hæc est, precibus ab initio expetendum esse subsidium hoc charitativum, verum adversus renitentes & refractarios jus potestatis ordinariæ exercendum, ut etiam inviti solvere cogantur; neque id iniquum esse, cum unicuique inopiâ laboranti subveniendum sit. Et fateor, rationem hanc valdè speciosam videri, quippe propter quam cogi etiam possunt cives, ut eleemosynas faciant, & pauperibus succurrant, ut pluribus id deducit G. Franzkius *lib. 2. resolut. 7.* Et sic rectè statuitur, cogi posse parochianos, ut facultatibus suis subveniant parochi & pastori suo, diocesanos, ut auxilium præstent Episcopo suo,posito, quod pastor & Episcopus extremâ inopiâ laborent. Sed quia in hunc modum restringitur assertio de coactione ad eleemosynas præstandas, ut intelligenda sit de extremo paupertatis gradu, quando pauperibus sine hujusmodi subsidio aut penitus pereundum, aut cum gravi jacturâ valetudinis conflictandum fuerit. Gregor. de Valentia *tom. 3. comment. Theol. disp. 3. q. 9. puncto 4.* videant Canonistæ, utrum assertio ista ita limitata applicari possit ad omnes charitativi subsidii species, quas fingunt, præsertim cum statuatur, jus exigendi subsidium charitativum esse ex parte peccantis Episcopi rem meræ facultatis. Remig. Gonni *de charitat. subsid. q. 60.*

XVII. Verum non videtur operæ pretium, ut diutius in his talibus immoremur. Quis enim aperiet fontes omnes, ex quibus tam immentæ facultates luxui Episcoporum inservientes scaturiunt? Bona Ecclesiastica olim in alimenta pauperum & redemptionem captivorum insumpta sunt, eumque in finem non solum distracta bona immobilia, sed etiam ornamenta Ecclesiæ & vasa sacra. At postquam interdictum id fuit, ut non nisi consentiente Episcopo, & collegio Canonicorum, qui soli Ecclesiam constituere hodie intelliguntur, alienatio fieret, non Clericorum tantum, sed Episcoporum etiam peculium in immensum auctum fuit. Nec desierunt tamen *οἱ κακοῦργοι* plurima alia excogitare artificia, quibus vel clerum ipsum avaritiæ jam tum intentum, vel laicos sive volentes sive invitos expilare liceret. Atque lucra ista omnia non in consanguineorum tantum suorum, sed in propria etiam commoda ita verterunt, ut curiæ sæpè suæ cum regiis decertarent. Inde verò, ut haberent, quo excusare suum hoc institutum possent, novum hoc procudi oportuit dogma, Episcopos bonorum Ecclesiasticorum, saltem ejus quartæ, quam ex omnibus Ecclesiasticis redditibus percipiunt, esse dominos, & posse eam in quoscunque usûs velint pro arbitrio suo impendere; quam doctrinam Dominicus Soto & alii saniores, novam & periculosam, & post mille atque quingentos an-

nos demum in Christianam Rempublicam invecam pronunciant. Sed & Martinus Azpilcueta Navarrus celebris canonum Interpres adeo negavit, tum in *manuali Confessariorum*, tum in speciali tractatu de *reditibus beneficiorum Ecclesiasticorum*, Clericos esse redituum suorum Ecclesiasticorum dominos, ut non tantum asfereret, Clericum ne vestis quidem, qua se quotidie induit, dominum esse, sed nec panem etiam, quem manducat, ejus esse, verum etiam Clericum abutentem redivis, vel beneficium impendentem superfluum vel profane reditus suorum beneficiorum teneri ad restitutionem.

CAP. XXVIII.

De Jure quod competit in bona Ecclesiastica.

I.

Quando, & qua ratione primum ceperint bona, & immobilia praefertim, Ecclesiae acquiri, nunc non erimus solliciti. Id vero certum est, quod jam diu observarunt eruditi, longe utilius fuisse Ecclesiae, si caruisset immensis istis opibus, & amplissimis patrimoniis, quibus eam eminere voluerunt principes Christiani. *Postquam enim Ecclesia ad Christianos principes venit* (verba sunt B. Hieronymi in *vita Malchi*) *potentia quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Qui vero minor? quia scilicet qui solet sublequi res secundas & bonorum omnium affluentiam, luxuriam illico sacerdotum animos occupavit, & hinc divini muneris sui negligentia causata fuit. Ab sacerdotibus exempla manarunt in populum, qui in depravatis moribus illapsus non jam Ecclesiam amplius constituere videbatur, sed perditissimorum & ad quavis delicta promptissimorum hominum coetum, ut verè dixerit Salvianus Masfiliensis l. 3. de gubern. DEI: *praeter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud omnis coetus Christianorum, quam sentina vitiorum?* Adeo verum scilicet est illud Severi Sulpitii: *auro non strui Ecclesiam, sed destrui.* Scitè admodum Bonifacius Episcopus Moguntinus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nun è contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus;* uti legitur apud Gratianum c. *vasa, de consecrat. dist. 1.* Res ipsa loquitur, immensam principum quorundam munificentiam, utcumque pius esset eorum affectus tantum virus in Ecclesiam sparsisse, ut ex decantata illa à Poëta Pandoræ pyxide non plus malorum in homines exiliisse credendum sit. Ut nec temerè propterea prohibitum aliquando sit, ne in Ecclesiam bona immobilia deinceps amplius transferrentur.

Hhhhh 2

II. Post.